106

104

110

100

115

095

155

055

205

005

Ende

Anfang

rum vicariũ, in dispensanda quantitate Variationis extrinsecus recepta. Et ad primũ quidem officium administrandũ terminabãtur illa ad Centrum Eccentrici: at si jam nobis hanc operam vicariam locare jubeantur; terminari debent ad sectionem circuli à linea motus Lunæ prope-veri factam. Si verò cui nõ placet hęc in circello opera aliena & vicaria: poterit is pro Variatione dispensandâ, scribere centro T circellum quantitate justa, cujus semidiameter sit ad CT in proportione semiduodecupla, id est, ut 15800. ad 4362. Satis & de hujus æquationculæ Hypothesi.

Tempus nunc est ut ad explicationem Tabularum accedamus, easq; suis præceptis instruamus, ut ad usum traduci possint.

DESCRIPTIO TABULÆ SCRUPP: MENSTRUORUM ET VAriationis, &c.

Tabb. fol. 82 83. PRIMÙM igitur his æquationibus menstruis est tributa Tabula Scrupulorũ Menstruorũ, &c. quæ sexaginta lineis faciem unam papyri, triginta reliquis alteram occupat. Dividitur secundùm *Partes.* latitudinem in partes tres, quarum sinistima quatuor limbis concluditur, dextra binis. Numeri in *Sinistra.* limbis, charactere majusculo, patefaciunt ingressum in Tabulam. Sinistri quidem limbi in fronte & calce adscriptum habent titulum Argumenti menstrui: at sunt comũnes in ijs numeri, ut ad marginem deorsum annotatum invenis. Sic dex- *Dextra.* træ partis limbus exterior complectitur Argumenti Annui Quadrantem auctum, interior quadrantẽ minutum: quod annotatur in illius fronte, hujus calce. Pars totius latitudinis media ha- *Media.* bet Scrupula menstrua pro calculo usitato, & eorum Logarithmos; pro novo Neperiano, quem in hoc opere trado potissimùm, omnibusq; suadeo. Hujus igitur partis mediæ quæ communes præbet ingressus, utriusque partium lateralium limbis, hujus inquam respectu, Numeri in limbis partis sinistræ, sunt Argumenti menstrui gradus integri: id est, arcus Eccentri Lunæ, incepti à puncto R in Sch. I. II. VIII. vel à puncto E in Schem. I V. V. VI, & terminati in locum Lunæ, quem is obtinet in Eccentrico, ratione primæ æquationis, dissimulatâ jam Variatione. Ex qua *Menstruum Arg. differt ab Elong.* descriptione patet, quomodo differat Argumentum Menstruum ab Elongatione Lunæ à Sole: cum qua tamen magnam habet familiaritatem. Differt inquam principio, quod alternis capit nunc à Sole, nunc ab ejus opposito; nec ab ipsissimis Eccentrici punctis in linea copulari S T V sitis, sed à respondentibus in ejus parallela R C E. Differt subjecto: Elongatio enim est angulus ad visum, mensuratus à Zodiaco; hoc argumentum est arcus Eccentricæ Orbitæ Lunæ: differt & quantitate numerationis crebrò, propter utramque causam. Gerit a. quilibet limbus suum Titulũ, quem tandẽ ęquationis parti competenti, ubi ea fuerit confecta, transmittat.

Huic Argumento menstruo respondent in *Scrup. Menstrua quid?* eâdem lineâ & parte mediâ, Scrupula menstrua, quæ sunt duæ quintæ de areâ trianguli, super CN, maximâ omnium in mense pleno, structi, ut in Schem. primo & quinto. Ut si Luna in K, & RK Gr. 30. invenietur R F E B K 330°, in limbo partis sinistræ dextro exteriore, cui superpositus est Titulus Adde. Scrupula igitur 30', in parte media, cum Logarithmo suo 69320, significant aream Trianguli C N K. Etsi verò mensis non sit ex PLENIS, ut in Sch. II. & VII, ubi C N non est maxima & æqualis ipsi C T; nihilominus exhibetur hoc triangulum (vel ejus $\frac{2}{5}$.) tanquam in mense pleno.

Argumentum annuum est angulus vel S T A, *Ar. Annuus quid?* in Schem. II. VIII, vel V T A. in Schem. IV. VI, digressionis illic Solis ab Apogæo Lunæ, hic oppositi Solis ab eodem. Et sunt, in VIII, A T S, & in quarto A T V, Quadrantes auctæ numerationis; quia horum angulorum residua ad 4 rectos disposita sunt in limbo partis dextræ dextro: vicissim in II, A T S, & in sexto, A T V, sunt Quadrantes diminutæ numerationis, quippe infra 90. qui ipsi dispositi sunt in ejusdem dextræ partis limbo sinistro. Areolæ, limbis hujus dextræ partis interjectæ, per solos hos limbos Argumenti annui excerpendæ, Titulo Particulæ Exsortis, sunt areæ Trianguli C T N. Et tituli seu *P. Exsortis quid?* literæ binæ superpositæ vel suppositæ in calce, excerpuntur à singulis limbis, à quibus ad literas patet ingressus: electio verò alterutrius est penes Anomaliæ menstruæ semicirculos, ut prior priorem eligat, posterior posteriorem: denique quæ litera manserit Exsorti, ea respicit non ipsum locum lunæ, sed æquationem menstruam corrigendam per Exsortem. Præter hanc particulam Exsortem, hoc Argumentum Annuum excerpit etiam ex parte media communi, Scrupula vel eorum Logarithmum: illâ verò tunc sunt verò Scrupula proportionalia; *Sc. prop.* capiunt enim de Triangulo C K N tanquam ex plenâ Eccentricitate computato, partem proportionalem Eccentricitati cujusq; mensis non pleni: suntque ad 60' sicut, verbi causâ, in Sch: quarto C σ N, ad C σ N in Sch. primo; supposito utrobiq; arcu eodem R σ. Hanc igitur appellò Partem competentem, & hæc Competens C σ N correcta per Exsortem C T N fit tandem quæsita *Pars competens.* T σ O.

Sed & sinistræ partis limbis utrinq; binis, interjecta est majusculis, Variatio Tychonicę quantitatis, excerpenda per solos hujus sinistrę partis limbos, cum suo titulo superposito vel suppositto: qui à quibus limbis indicetur, vicinitate sua ad illum indicat. Verùm tunc numeri limborum, ut suprà dictum, non ampliùs sunt arcus Eccentri, sed sunt angulus ad visum, seu arcus Zodiaci. à vero loco Solis numerati, usque ad locum lunę; duabus jam ęquationibus prope-verũ redditum. *Variatio Tychonica.*

Quia verò Variatio Tychonica non ab omnibus observationib⁹ eandem quantitatem habet *Demonstratio.* determinatam; ut hîc sit locus arbitrio; vicissim *Epit. Astr. lib. IV. f. 565.* verò, quia majoris paulò Variationis, ex causis archetypicis deductę, magna est verisimilitudo: exhibere eandem visum est in Tabella, charactere minuto, & seorsim à Tychonicâ, ut sit confusionis tantò minus: eámque calci Tabulę *Tab. fol. 83.* menstruę in parte papyri vacante subjicere, tributam in tres partes, quindenum singulas linearum: cujus limborum ratio est eadem, quam etiam inscriptiones frontium & cal-

© Stadtbibliothek Ulm, 2018. Signatur: MNV 596;